

חצמיר *excindas*:) ita ut in hac viventium terrâ fidelibus tuis nec exemplo, nec maleficiô etiam suô, obfint ulterius, tuamve impediunt gloriam, religionem veram, honestatem, &c. Confer de hoc *Excindendi* verbo *Psal.* CI, 5. 8. ubi de magistratus suppliciiis adversus facinorosos id usurpatur. item *Psal.* XVIII, 41. LIV, 6. LXIX, 5. LXXIII, 26. (*excindis omnem scortantem contra te*:) XCIV, 23.

והאכר & *perimes*:) res eadem aliis iterata verbis, ob supplicii evidentiam, certitudinem, singularitatem, gravitatem.

עבדך *servustuus*:) à nemine, nisi te, Dominô suo genuinô auxilium defensionemq; petens aut expectare valens. Simili modo hoc se cohonestat titulo David *Psal.* XIX, 12. 14. XXVII, 9. XXXI, 17. CXVI, 16. CXIX, 176. vide etiam supra *versum* 2.

USUS PRACTICUS E VERSU I.

- [1] De precibus,
- [2] harum auscultatione,
- [3] exauditione, vide *L. de Orat. & præc.* II.
- [4] Veritati promissionum divin. meritò innitimur **B** adversus omnem carnis *hesitationem* Satanæque *obscuros scrupulos*.
- [5] *Justitia Dei, non rigidè in peccatores animadvertens indiscriminatim, sed hostes veritatis & ecclesia plebens, fundamentum præbet fiducia.*

USUS E VERSU II.

- [1] *Judicium Dei vel est particulare, in hoc seculo, vel universale, in fine seculi.*
- [2] *Intrat Deus in iudicium, quando examen instituit administrationis bonorum commissorum: Matth. XVIII, 23. Luc. XVI, 2. Hoc ipsum experitur homo in suâ conscientia, quæ & accusator, & testis, & suo modo carnifex est, &c.*
- [3] *Contra hunc rigorem in tempore gratia adhuc lozum reperit respicientis deprecatio: Matth. XVIII, 26. v. L. de Justif.*
- [4] *De carnis universæ maledictione per peccatum attrahit, in L. de Peccato. conf. Rom. III, 19. IV, 7. V, 12. Exod. XXXIV, 7. Job. IX, 2. XXXI, 14. Psal. XXXII, 1. 6. CXXX, 3. Act. II, 36.*
- [5] *Ubi igitur opera supererogationis? ubi perfectio? ubi merita Papistarum?*

USUS E VERSU III.

- [1] *Nemo piorum sine hoste, ad minimum sine Serpente antiquo: 1. Petr. V, 8.*
- [2] *Persequitur hic vel immediatè, tentando & tela ignita immittendo; vel mediante mundo, &c. Invidet enim piis quietem, vel quietem convertere tentat in securitatem, &c.*
- [3] *Vitam cupit eripere tam naturalem, quam præcipuè spirituales.*
- [4] *In terram deprimimur, quando præ celestibus terrena sectari inchoamus.*
- [5] *Spiritus tenebrarum secum in caliginem æternam præcipitare tentat homines, mediantibus operibus tenebrarum. Joh. III, 19. seq.*
- [6] *Caligo mæroris cavenda studiosè: 2. Corint. VII, 10.*
- [7] *Memoria tenebrarum, tam sepulchralium quam infernalium, arcebit opera tenebrarum fortissimè. conf. Sirac. VII, 40.*

USUS E VERSU IV.

- [1] *Extrema animi consternatione non varè ob-*

A ruuntur pia pectora, ad exemplum Davidis, quod notandum tentatis.

(2) *Obstupescit cor nostrum, quando admissa nostra mala cumulatim, obvertuntur nostra conscientia, unâ cum maledictionis æternæ voragine; unde eluctandi nulla comparent media, &c.*

(3) *Exponere hac licet coram Deo, imò tenemur: Psal. LV, 23. LXII, 9. Sic dolor decrescit, humilitas auem propria unâ cum fide crescit, &c.*

(4) *Etiamsi omnes animæ vires videantur evanescere, pendendum nihilominus est constantissimè à Deo solò: Job. XIII, 15. Psal. LXXIII, 23.*

USUS E VERSU V.

- [1] *Recordatio temporum antiquorum docet nos alieno periculo sapere, Dei justitiam, sapientiam, clementiamque ad nostra tempora casusq; accommodare, &c: Horsum lectio historicorum & sacrorum & profanorum.*
- [2] *Opera divina meditari debemus, & attendere tanquam spectatores, ad id ipsum in orbem hunc introducti, ut Creatori debitus exhibeatur honor, fiducia, amor, &c.*
- [3] *Quæ Deus fecit aliis, facere etiam potest nobis: conf. Jac. V, 16. 17.*

USUS E VERSU VI.

- [1] *Manus nostræ non nisi ad Creatorem extendendæ in precibus: absque hujus nutu nil valent creaturæ universæ. L. de Invocat.*
- [2] *Defideria nostra non debent occupari circa caduca, sed circa summum Cælestè Bonum: (Psal. X, 14.) debentque.*
- [3] *Essè fervida, instar terræ fiticulosæ: Apoc. III, 17. seqq. Jes. LV, 1. Joh. VII, 37.*

USUS E VERSU VII.

- [1] *De auxilii acceleratione, quousque & quando peti possit, dictum sæpius: conf. Psal. CII, 3.*
- [2] *De Spiritûs absumptione in gravibus adversitatibus loquantur Tentati.*
- [3] *Semper ambulandum coram Dei vultu, (Gen. XVII, 1.) ne à nobis profanis ingratisque vultum suum occultet Dominus.*
- [4] *Moribundis assimilamur privatione gratiosi Dei vultus.*
- [5] *In Dominò obdormiscentes non moriuntur, sed vivunt: Joh. VIII, 51. XI, 25.*

USUS E VERSU VIII.

- [1] *Manè orandum, si manè (b. e. maturè) evangelium appetimus promulgandum Psal. LXXIX, 8.*
- [2] *Audite nos facit Deus gratiam, tam ab extra, per Ministerium Scripturamque lectam, quàm ab intra, per Spiritus Sancti testimonium: Rom. VIII, 16.*
- [3] *In solum Deum sperandum confidendumque vid. Præc. I.*
- [4] *Docet nos Deus viam suam a nobis ambulandam, quando per verbum instruit tam de credendis, quàm faciendis atque fugiendis. Huc præc. III.*
- [5] *Ad Deum præcipuè ac unicè levanda nostra anima per dilectionem sinceram, plenam, constantem: præc. I.*

USUS E VERSU IX.

- [1] *Eripimur ab hostibus tum particulatim in hac vitâ, tum plenariè, in vitâ fine. Eripimur pro divinò beneplacito, non quando nobis visum, sed quando verè proficuum: 1. Cor. X, 13. 2. Pet. II, 9.*
- [2] *Deo nos committimus totos per fidem veramque cordis resignationem. Huc abnegatio voluntatis propria: Matth. XVI, 24.*

USUS